Ad Cardinalitiam Quaestio medica matutinis agitanda disputationibus,

die Jovis 28a Februarii In Schol. Med. M. Petro Collier D. m. Moderatore prudentiss.

An morbi Periodici vere frequentiores?

Coelum suo motu, lumine, influentiisque haec inferiora regit et gubernat. Siquidem sunt planetarum motus hi, et octavae sphaerae signorum cum ipsis aspectus: quibus quoque in his inferioribus efficitur. Aer (sine quo ne momento quidem vivere possumus) illius primum et benignitati, et saevitiae subiacet, bonoque vel malo affectus nos ambit, imo subit, fovet vel laedit. Proinde causa universalis est impotens, nisi per aliam recepta ad actum determinetur. Sed neque caelum, neque aer causae sunt morborum efficientes, nisi materialis causa (corpus dico) morbo recipiendo sit opportuna. Verum quatuor humores, qui proxima sunt corporis elementa, quantitate vel qualitate peccantes, causam antecedentem continent, quae permanentes morbi periculum est. Quod si humorum nullus sit excessus vel defectus, calor naturalis abundans, facile caeli aerisque quaslibet iniurias potest superare.

Sed pauci sunt, quos solus invadat senectus, et saepius immensi delicta luimus parentum. Ideoque fit, ut praeter morbos aeris caeterarumque rerum non naturalium vitio contractos, haereditariis (qui a semine vel menstruo ducentes originem, omnium curantur difficillime) affligamur. Alii vero, qui humorales dicuntur, dummodo altas in partibus radices non egerint, multumque nativam temperiem, partium similarium institutionem, labefactaverint, a natura morborum medicatrice, etiam sine ullo medicamento, causa eorum sola diaeta convenienti sublata, abiguntur. At putridi humores non possunt emendari, imo tanta potest intus gigni putredo, ut cum adepta tandem vix cedat remedio.

Ex quatuor anni tempestatibus, quae pro vario solis accessu et recessu fiunt, quaedam sunt aliis longiores, ut hyems, aestas: aliae breviores, ut ver, autumnus. Unaquaeque ab aliis diversa, diversos produci efficitur. Aestas calida sicca generat bilem, hinc morbi calidi sicci, frigidis acutiores et remediis obsequentiores. Autumnus frigidus siccus, melancholiam; ab ea morbi frigidi sicci, qui ut humorem sortiti sunt tenacem longiusque a nostris principiis distantem, ita difficilius cedunt remediis. Hyems frigida humida, sibi congeneres facit morbos, curatu morbis melancholicis faciliores. Ver temperatum suos quoque profert a sanguine et pituita, qui minus sunt lethales, mitiusque tunc temporis et ciborum detractioni cedunt. Sic omnes intemperati, licet varie affecti, sese habent, melancholici praecipue; aestate vero commodius quam alio quovis tempore degunt pituitosi et seniores.

Periodi tempestatum a sole, morborum ab excrementis vitiatae concoctionis. Excrementa vero generantur in partibus, quia debilis natura vel morbo alimentum quamvis laudabile non possunt conficere; hinc excrementorum congeries, quae, licet quantitate vel qualitate peccent, non tamen semper prae partis imbecillitate sensu vel obtuso vel mutatum debilitate deturbantur. Cerebrum, pancreas, mesenterium, articuli, partes debiles quia frigidae, his superfluitatibus gignendis et retinendis sunt aptissimae: addo inanes cavitates. Quod si humor collectus et excitatus foras pellatur, nullusque morbi focus in partibus resideat, cessat periodus; alias pro humorum et partium diversitate recurrit varie; modo cum putredine febrili, ut in vera pleuritide, angina; modo absque ea, ut in vertigine, haemorrhagia, cordis palpitatione, asthmate, haemorrhoidibus; et modo cum dolore, ut in omni pleuritide, hemicrania, arthritide; modo citra eum, ut in apoplexia, epilepsia, melancholia, mania.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Ut hyeme, sic vere calor nativus abundat; verum frigus hyberni temporis, cutim densat, vasa refrigerat, hinc multa sanguinis, potissimum vero crudiorisque pituitae copia, propter otiosam et genialem vitam tunc colligitur, ut demum nativi caloris suffocatio immineat, qui tandem caeli vernantis tepore adiutus huiusmodi noxios humores expugnandos aggreditur, qui, nisi vel sectione venae (tunc temporis administranda praecipue) vel idoneo cathartico (quod et licet quid maligni secum habeat, minus tamen virium robur quam phlebotomia postulat) expellantur, varia pariunt incomoda. Si ad cutim erumpant, ulcera, pruriginem, impetiginem, vitiliginem, exanthemata. Si ad articulos decumbant graviora, arthritidem consistenti aetati magis familiarem. Si denique intus retineantur, gravissima, vertiginem, apoplexiam, melancholiam, maniam, epilepsiam, asthma, nephritim excitabunt.

Ergo vere Morbi Periodici vere frequentiores.

Asserebat Lutetiae Parisiorum, Michael Francier Compendiensis. Anno M. DC. xiii